







1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.

1737.

1. Hertel, Franciscus Aristarchus: *De iure circa prodiges.*
2. Henne, Andreas. Cantabrigiae: *De legibus ad praeterita
Fronhenis.*
3. Henkel, Fracimus: *De Concordatis Germaniae.*
4. Hertens, Casparus Josephus: *Quomodo iudicandum seu
sententia nancum sit?*
5. Rothmann, Ioannes Michael: *De iurejurando actibus
invalidis adjecto.*
6. Schorchius, Hieronymus Fridericus: *De eo, quod iustum
est circa revocationem Fronhenis.*
7. Schorchius, Hieronymus Fridericus: *De officio iudicis ad
imponendo iuramento vel suppletorio vel purgatorio.*
8. Stahl, Ios Joannes, Facult. medicae Decanus Pectori
benevolus s. p. d. (ad Disputationem in reg. Joans.
Francidii Vazellii). . . innotat.

9. Stricker, Com. Wilhelmus, Facult. juridicae Decanus
 et . . . Dissertationem in ang. (Joanni Nephtali Loescheri)
 iuritat. 18
10. Stricker, Com. Wilhelmus, Facult. juridicae Decanus:
 . . . et . . . Dissertationem in ang. (Joanni Guillelmo Her-
 brandi) . . . iuritat. 17
11. Stricker Com. Wilhelmus, Facult. juridicae Decanus:
 . . . et . . . Dissertationem in ang. (Joanni Fridrico
 Merckelii) i . . . iuritat. 19
12. Stricker, Com. Wilhelmus . . . et . . . Dissertationem
 in ang. . . . (Caspero Josepho Mertens) . . . iuritat. 2
- 13¹⁻⁴ Stricker, Com. Wilhelmus: De jure mulierum
 quibus expressa hypotheca a marito constituta est.
 2 Semst. 1757 = 1754.

14. Streckler, Conradus Wilhelmus: De expositione variorum
annorum ad fores templi.

15. Streckler, Con. Wilhelmus: De solutione triennali.

16. Streckler, Con. Wilhelmus: De specificatione jurata.

17. Streckler, Conradus Wilhelmus: De incendiis.

18^{a. b.} Streckler, Conradus Wilhelmus: De eo, quod iustum
est circa jus retentionis.

19. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicæ decanus ...
ad ... Dissertationem inang. (Stephani Ferdinandi
Fichtneri). ... invitat.

20. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicæ decanus:
... ad ... Dissertationem inang. (Francisci
Christophi Herkelii). ... invitat.

H. Vogelius, Joannes Franciscus : Dissertatio inang. jur. pica,
sistens cautelas quasdam ante - vel -- et post praedictas
observatas dignas

5754

DISPV TATIO IVRIDICA ^{1737/1}
DE
I V R E
CIRCA
P R O D I G O S,

QVAM
ILLVSTRIS
IN PERANTIQA ACADEMIA ERFORDIENSI
JCTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRO
GRADV DOCTORIS
AD D. VIII. OCTOBRIS ANNO M DCC XXXVII.
SINE PRÆSIDE
DEFENDET
A V C T O R
FRANCISCVS CHRISTOPHORVS

Bärtel
SCHNEEBERG. MISN.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

DISPUTATIO IURIDICA
DE
IURE
CIRCA
PRODIGOS

IN
ILLUSTRI
ACADEMIA
IURIS
ORDINIS
CONSANGV

GRADU DOCTORIS
AB A. M. MCCCLXXXII
SINE PRÆSIDE
AUCTOR
FRANCISCVS CHRISTOPHORVS

ERKORDT
Typis JON. CHRISTOPH. HEINICH, Acad. Typogr.





PRÆFATIO.



Pecimen academicum editurus, LECTOR BENEVOLE, diu dubius hæsi, quale inter tot Jurium materias mihi elaborandum sumerem thema, tandem tamen in præsens, de JURE CIRCA PRODIGOS, ineidi argumentum, idque pro virium vacillantium tenuitate hisce sequentibus pagellis ea, qua fieri poterit brevitate explanare, apud animum constitui; Occasionem huic meditationi suppeditavit frequens, qui materiæ dignitatem commendat, usus. Quo vero eo commodius tractatio fieri possit, ea, quæ dicturus sum, in tria potissimum capita includenda esse duxi. Sic in I. CAP. prodigos eorumque qualitates in genere exponam, in II. CAP. de officio magistratus circa prodigos agam, tandem in III. CAP. potiora prodigorum jura in specie tradam.

Cæterum excusabis, L. E. si non omnia in tam diffusâ materia tacta, & quæ dicta, non semper ex judicio tuo dicta invenies. Vale.

A

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.
 DISSERTATIO
 DE
 JURE CIRCA PRODIGOS.

CAPUT I.

DE

*Prodigis eorumque qualitate in
 genere.*

§. I.

An tequam ad pleniorē rei pertractationem nos accingimus, paucissimis in etymologiam ac significationem vocabulorum in frontispicio dissertationis positorum investigandum erit, licet enim in jure rerum potior, tamen prior semper verborum habenda est ratio; arg. l. 7. §. fin. D. de Supel. leg. Ipse Imperator JUSTINIANVS pr. §. de libertin. VLPIANVS l. 1. ff. de reb. ord. aliique veteres JCTI l. 15. D. rem rat. bab. & alibi vocum explicationem curam habuerunt primam, cum rita vocabulorum explicatio ad enodandos juris laqueos multum omnino conferat, vixque possibile sit, absque probe cognitis vocibus in rei essentiam penitus penetrare.

§. II.

Juris itaque vocabulum, quod primum in rubrica tenet locum, & vel ex opinione VLPIANI in l. 1. pr. D. de J. & J. à justitia appellari, vel ut alii rectius volunt, a *justu* seu jubendo derivari poterit, variis modis accipi videmus, mox enim, uti in rubr. D. de J. & J. sumitur pro juris prudentia, mox denotat locum, ubi jus redditur, l. pen. cod. t. §. t. t. D. de in jus voc. mox significat necessitudinem, seu vinculum
 cognā.

cognitionis l. f. D. de J. & J. mox sumitur pro facultate morali. GROTIUS de jur. bel. & pac. L. I. cap. 1. §. 4. p. m. s. mox pro titulo, quo aliquid possidemus, l. 10. D. si serv. vind. l. f. D. de ag. & agv. pluv. mox pro arte boni & æqui, & hoc sensu convenit cum jurisprudentia l. 1. pr. D. de J. & J. tandem etiam accipitur pro jussu Superioris, seu pro eo, quod in legibus de aliqua re dispositum, & vel justum vel injustum est; quam postremam significationem vocabulum, jus, in nostro discursu recipit.

§. III.

Pari ratione de particula, *circa*, quæ plerumque vel locum vel tempus denotat, non adeo anxie erimus solliciti, varias enim hujus vocis significationes, quæ ap. CALVIN in *lex. jurid.* & FABRVM in *thes. latin.* videri possunt, hic recenfere instituti ratio haud patitur; scire sufficet, eam in nostris thesibus idem significare, quod quoad, *ratione*, quod *attinet*, l. 2. ff. de hered. inst. l. 24. ff. de inoff. rep. l. 66. ff. ad L. falc. Notanter ideo hæc particula *circa* potius, quam verbo de in rubr. diss. usi sumus, cum non minus de jure prodigorum in specie, quam & aliorum præprimis magistratus in adhibendo decreto quædam exponere constituimus.

§. IV.

Vox tandem, quæ nunc in ordine explicanda venit, *prodigi*, derivationem trahit a verbo prodigere, quod ex partic. pro, & agere, interposita propter euphoniã lit. d. ceu plerumque fit, *ex. gr.* prodire, redigere, compositum est, idemque significat, ac consumere, l. 18. ff. de off. Præf. germ. verthun, durchbringen, verschwenden. Hinc etiam alio nomine prodigus dicitur everfor. CAJVS. lib. I. Inst. tit. de Curat. profutor, qui scilicet bona sua quasi profundit & pro nihilo æstimat. Vid. etiam WEHNER. obr. pr. p. m. 369. voc. Mundtod.

§. V.

Remotis itaque his, quæ in progressu scrupulos vel moram injicere potuissent, ad rem ipsam, primoque statim

limine ad definitionem prodigiorum realem accedimus. Non incongrue eos jam olim depixit TULLIUS in aureo *de officiis* libello L. II. c. 16. sunt, inquit, prodigi, qui vel epulis & viscerationibus, & gladiatorum muneribus ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino sunt relictauri. Plurimas, easque maxime tunc temporis frequentiores prodigiorum species in hac Ciceronis descriptioneprehendimus, aliam tamen, cum ea definito suo angustior sit, superinducimus; definimus quippe prodigium per hominem, qui propter neglectum rationis ductum bonis suis adeo abutitur, ut neque tempus neque finem expensarum habeat, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, sicque quoad opes suas insanum facit exitum.

§. VI.

Objicies, hanc a nobis *ex l. 1. ff. de curat. fur. §. al.* constructam definitionem æque-fragilem & periculosam esse, cum ad omnes, præprimis eos prodigos, qui quidem congenitis pravis animi commotionibus raro tamen, vel semel saltem, posthabita ratione obtemperant, applicari haud possit. Enimvero negari nequit, omne, quod naturam finemque rerum excedit, esse superfluum, et omnibus in rebus, ubi accedit superfluitas, succedere prodigalitatem, adeoque quemlibet, qui majus quid, quam necessarium est, impendit, merito deprædicari posse prodigium. At hæc non sunt, cur stabilita corruat definitio; non enim de omnibus indistincte & moraliter prodigis, sed solummodo de his, qui nefandum prodigiatum in sinu quasi fovent & alunt, vitium, quibusque a prætore bonis interdici, & curator constitui potest, jam disputamus.

§. VII.

Pro potioribus causis, ex quibus pessimum hocce vitium defluere morum Ddres contendunt, venditantur generatio, educatio, affectus & temperamenta; sed hæc omnia non comparata, ut certam hujus vitii culpam iis adscribere

scribere possis. Equidem dari liberos a parentibus prodigis natos, qui corruptos patrios mores caeco imitantur impetu, in proapatulo est; quis vero ideo hujus rei culpam in generatione positam esse, contendet? saepe & sapinus juxta tritum illud:

Prodigus est natus, de parco patre creatus.

Liberos maximos profusores a parentibus frugalitati imo avaritiae deditissimis susceptos, & vice versa prodigialium filios valde frugi videmus; cuilibet enim, uti vitiorum, sic & virtutum sunt innata semina, *docente ita CICER. quest. Tusc. L. III.* Certum hinc est absque solita ratione causam prodigientiae in generatione quaeri.

§. VIII.

Majus tamen quid educationi, quam generationi inesse, eleganti jam olim condocuit exemplo Lycurgus. Hic duos ab uno ovo progenitos catulos diverse educabat, unum venationum laboribus assuesciebat, alterum vero ut gulæ inferviret, enutriebat, posita denique coram conspectu civium ossa & lepore, insuperque canibus missis factis, prior leporem alacri insequabatur pede, posterior vero lento se recipiebat gradu ad eicam. Verum enim vero ab his adductis ad hominis naturam nulla plane, aut lubrica saltem, valebit consequentia. Concedimus omnino; a teneris assuescere multum esse, largimur; ex educatione consuetudinem alteram interdum oriri naturam, quæ si vel furca expellatur, usque tamen recurat. Ast saepe magnus, qui plerumque prudentis etiam educationis comes est, rigor educandos eo adigit, ut potius metu poenarum, non virtutis amore vitiorum viam terere ad tempus intermittant, qui si postea suæ libertati atque arbitrio relicti vivunt, in perversum vivendi modum rapiuntur. E contrario haud pauci domi desides splendide & luxuriose educati, si crescentibus annis adauctoque judicio prodigam rem totum cum semine saccum tollere, ex aliorum satis lugubri exemplo perspiciunt, inveteratam vitæ rationem damnant, eradicant, parsimoniamque insectari incipiunt. Concludimus

A 3

hinc

hinc inde aliqualem quidem, neutiquam tamen certam & tantam, ceu credunt, prodigiatas culpam educationi esse tribuendam.

§. IX.

Neque si naturales spectes mortalium affectus, certam prodigiatas causam invenies; Oppones: a natura maximum ad flagitia nobis semper inesse stimulum. Concedemus, salva res est. Ipsi affirmamus; amissa post lapsum protoplastorum Dei imagine voluntatem hominis depravatam & ad vitia quam maxime proclivem esse, interim tamen nemo, qui vel per transennam rem inspiciet, asserere poterit, hujus aut illius naturam quoad hunc vel illum affectum magis esse corruptam, si enim hominis voluntatem in abstracto considerabis, quemlibet voluptuosum, avarum, ambitiosum aliisque vitiis obrutum pro diversitate objectorum, quæ hominibus interdum offeruntur, deprehendes. Sed decet, uti Socrates olim de se factus est, sese corrigere arte. Scilicet; corrupta quamvis voluntate remanet nobis aliqualis potestas, vi cujus insurgentibus malis affectibus frena injicere, eos ne se palam exierant, suppressere, aliosque, quos sana ratio, qua duce per totam vitam eundum est, dicitur, substituere possumus. Quamobrem prodigalitas nequaquam perverse hominis voluntati & affectibus, qui pariter omnes vexant, sed aliæ causæ, de qua in §. II. agemus, adscribenda est.

§. X.

Pari ratione nec in certa temperamentorum specie genuina prodigiatas causa laticare poterit. Etenim nullum vitium ita unidicari potest temperamento, quin & aliud ingrediatur, sic libidinis, prodigalitatatis &c. exempla forte in omnibus temperamentis haud levia existunt; vid. J. F. WERNER. *in disp. de temperamentis* 3^{torum} Witb. 1733. bub. C. I. §. 8. Neque Cholericum, qui in adaugenda gloria & adipiscendis, etiam absque omni utilitate, honoribus nullis parcat sumtibus, a detestabili hocce vicio eximimus, imo Melancholicum etiam prodigiatas voluptate interdum trahi, exemplo Hulderici

Hulderici Fuggeri, quod *Doff. Dn. LEYSER sp. ad ff. CCCXLIX. medir. 3.* exhibet, illustrari posset, sed, ne falcem alienæ messi applicemus, abstinemus, Lectoremque *ad §. præc. § sequ.* remittimus.

§. XI.

Saniorem eamque indubitam hujus vitii causam, si quis scrutari velit, aliunde quam ex recensitis tonibus longe feliciori progressu accersere poterit. Corpus varias suggerere voluptates, voluntatique nostræ libidinis, voluptatis & prodigialis affectus atque cupiditates inesse, neminem fugit, sed corpori inservire, impetuique naturali obtemperare, pecorum, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit, non hominis est. Est homo, præcipuum opus Dei, solum ex tot animantium generibus rationis, optimæ malorum affectuum dominatricis, particeps, & ad ejus usum naturali quadam lege atque necessitate obstrictus. Duplex *inquit*, qui in hac re nobiscum sentit CICERO, est vis animorum atque naturæ, una in appetitu posita, quæ hominem huc & illuc rapit, altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendumve sit; Ratio vero præsit, appetitus obtemperet, *in off. L. I. c. 28.* Sequitur hinc inde, unicuique incumbere, ratione duce, pravas animi commotiones repellere, vanas & pœnitendas voluptates diligenti moderatione temperare, atque summo studio virtutis, sic & temperantiæ viam insectari. Qui e contrario in actionibus suis rationem quasi respuunt, ejusque usum negligunt, ad varia trahuntur absurda, futilibus effêruntur laticis, & multitaris molliuntur voluptatibus. Veriorem itaque prodigialis causam negligentia usum rationis, cum per hanc qualibet sinistra, legique & Divinæ & humanæ repugnans voluntas emendari possit & debeat, adscribendam esse, affirmare nulli dubitamus. *vid. etiam SCHILTER. Pr. Jur. Rom. Ex. XXXIII. §. 213. circ. fin.* Sed sufficiant hæc de vitii hujus causis.

§. XII.

Ad ipsos prodigos redeamus; quousque vero eorandem infamia morum, quibus magistratus cum effectu bonis interdiceret

dicere velit, procedere debeat, jura civilia non expriment, neque si LL. Interpretes de hac re consulimus, exploratum quid, sed variarum opinionum farraginem deprehendimus. At *Excell. Du. LEYSER sp. ad ff. CCCXLIX. m. 1.* eum denique prodigum æstimando, qui reditus sat amplos, ex quibus commode vivere potest, habens, tamen de sorte sua aliquid detrahit, vel æs alienum constat, rem accuratius tangit; Neque tamen opinioni eorum, qui præter ipsam bonorum diminutionem, vitæ prodigalis per aliquot annos continuationem ad prodigum constituendum exigunt, subscribimus. Equidem videretur hocce assertum menti ULPIANI qui *in l. 1. ff. de Curat. furios. & aliis ad bonorum administrationis privationem*, ut quis neque tempus, neque finem expensarum habeat, requirit, conforme; sed via dubito, quin hæc verbis id solummodo, ut quis fundum expensarum non habeat, indigetur, *vid. GÖTHOFRED. in not. ad l. 1.* minus enim probabile est, legem hæc proprie de tempore loqui, & si id etiam concederemus, tamen lex certum tempus, vel adeo aliquot annos, intra quos (imo angustiore tempore) fastissimum patrimonium everti posset, haud definit. Totum ergo negotium arbitrio judicis subjacet, qui tamen utrum prodigalitate contracta, & ad dehortationem magistratus haud emendata consuetudo, ex qua pedetentim paupertas metuenda, revera adsit? ante declarationem ponderare debet, *a. l. 12. §. 2. ff. de Tutor. & curat. dat.*

§. XIII.

Plures vero & variæ dantur profusorum species, sed ex tam multis pauciores saltem, quibus prætor, si ad frugem haud redeunt, proxime curatore prospicere potest, ad illustrationem thematis nunc adferemus. Primam sedem assignamus ebriosis, perniciosissimo scilicet ebrietatis consuetæ morbo laborantibus. Abominabile certe genus hominum, qui potulenta, Summi Creatoris dona, non ad restringendam sitim, prouti natura commendat, adhibent, sed ventris libidinis causa impletos scyphos continuo haustu evacuant, dies noctesque perpotando continuant, rem familiarem

miliarem negligunt, fugitivum & irreparabile tempus perdunt, patrimoniatque evertunt. Turpe hinc scribit SENECA *Epist.* 83. est, plus sibi quempiam ingerere vini, quam capiat stomachus, & stomachi sui haud nosse mensuram; certe non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. Ebrietatem mentis inducere exilium libidinisque incendere incertivum, clare dicitur *in cap. 14. X. de vit. & honest. cleric.* Facile ergo patescit, eam tanquam rem turpissimam, ex qua varia adhuc prodigalitatibus species, imo atrociora scelerata, uti videre est *penes CARPZOV. Pr. Crim. P. III. qu. 146. n. 3.* propullulare solent, non solum cane & angue pejus esse fugiendam, sed & Judicis omnino esse, ebriosos ad negotia sua idonee gerenda ineptos pra reliquis, qui Republicam rerum suarum abusu laedunt, ab administratione bonorum dejicere.

§. XIV.

Cum ebriosis quodam cognationis vinculo conjuncti sunt, qui ad epulas vel crebras vel nimis splendidas instituendas admodum sunt propensi. Equidem sunt convivia per se considerata licita atque honesta, multum in se habent amoenitatis, animusque ibidem suavibus interdum delectatur colloquiis; Verum ultra modum splendidas commestrationes comparare, easque omni opulencia adornare, luxuriam hominis praestantia indignam prodit atque ostendit. Turpe enim est delicate & molliter vivere, luxuriaque distuere. *Vid pl. CICER. in off. L. I. c. 30.* Quare & saluberrimae sunt leges, quae ejusmodi immodicis commestrationibus aut comotationibus obicem ponunt, certumque convivorum modum determinant, huc spectat in Saxonia *El. Sevenist. Elect. JOH. GEORG II. sanctione de An. 1661. Tit. 19.* von Gastereyen und Zutrinken, ubi non solum crebra convivia, sed & fercula ibidem adponenda ad certum modum & numerum pro ratione cujuslibet conditionis & facultatum restringuntur, superfluaeque potationes serio prohibentur, *in verb. Obwohl die Gastereyen zc. soll doch keiner über sein Vermögen &c. & porro.* Weil das übermäßige

ge Zutrincken gar zugemein, und fast kein Gastgebot anutref-
fen ist, in welchen nicht Gottes Gabe u. verschwendet. Huc
facit etiam *Ord. Pol. de an. 1612.* ibi: obwohl auch andere
Gastereyen, nec non Divi AVGVSTI *Const. 22. P. II.* vi cu-
jus obstagia, ex quibus non leves bonorum profusiones pro-
venerunt, prorsus sunt abrogata.

§. XV.

Occasione epularum, quarum communem ferme co-
mitem Musicam, tam olim apud Romanos & Graecos, te-
ste *QVINT. L. I. c. 14.* quam hodiernum apud nos spectamus,
nunc se nobis offerunt musicarum amatores. Non detra-
himus in praesenti aliquid de laude musices nobis a natura
veluti muneris datae, magna est ejus vis, languentes incitat
animos, fatigatos refocillat, tristes melancholicasque cogi-
tationes expellit; nihilo tamen minus ejus abusum passim
irreptum, cum omnis excessus merito sit reprehendendus,
vituperamus. Illi ergo, qui tanto ardore eam profequun-
tur, ut vel posthabitis severioribus negotiis tibiarum &
fidium sonum ad solam luxuriam titillationemque aurium
per multas juxta seriem excipientes horas magno sumtu &
saepius audire vacent, & pro emendis admodum pretiosis
mollium deliciarum instrumentis magnam pecuniae sum-
mam, absque facultatum respectu, solvere soleant, a pro-
dignitatis nota neutiquam excusari merentur.

§. XVI.

Deinde prodigorum classi interimus lufores, assidos
quippe & frequentes, ipsisque tanquam dilapidatoribus, ac
sua substantia male utentibus bonis interdici posse, cum
CARPZOV. Pr. Crim. P. III. qu. 134. n. 8. affirmamus. *dissent.*
FACHIN. contr. libr. II. c. 65. lit. D. Etenim nonnullis tantus
ineest ludendi pruritus, ut non solum pecunias, vestes, ali-
asque res ludendi perdant, sed & spe recuperandi deperdi-
ta univcrsa interdum bona dubiae ludorum fortunae com-
mittant, sicque se ac suam familiam in extremum egestatis
periculum detrudant. Imo veteres Germanos aleam tanta
lucrandi, perdendive temeritate exercuisse, ut amissis omni-
bus,

bus, extremo & novissimo jactu de libertate & de corpore contenderint; Testis est TACIT. *de mor. germ.* C. 24. §. 3. Talis ludendi modus maxime prodigus, atque dictamini sanae rationis repugnans dici poterit. Equidem ludos, si citra magnum rei familiaris dispendium sunt, rebus licitis adnumerare haud dubitamus, quidam tamen, inquit CICERO. *in off. Libr. I. c. 29.* ludendi modus retinendus est, ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in turpitudinem aliquam delabamur. Plus igitur temporis ludis perdere, insuperque facultates eorum periculo exponere, turpe semper fuit habitum, SCHILTER. *Ex. XX. §. 21.* & CARPZ. *d. l. n. 7.* Unde & exitioso huic malo leges humanae prudenter obviam eunt, ita, ut vel ludis, ne majores bonorum dilapidationes hinc inde emergant, certam normam, certamque quantitatem pecuniae una vice perdendae determinent, *v. l. ult. C. de aleat. & alcar. us. & Ord. Pol. de an. 1691. tit. VIII. Episc.* vel repetitionem ultra praescriptam summam perditae & solutae pecuniae concedant, *cit. l. ult. C. de Aleat. TITII J. P. cap. de contr. fortuitis g. m. § 27. seq.*

§. XVII.

His adnectimus spectatores, dicam eos, qui scenicis ludis magnam substantiae partem impendunt. Sane hicce fortunas & opes dilapidandi modus apud Romanos admodum frequens erat, ibi quippe populus histrionalibus, gymniciis, aliisque variis ludis atque spectaculis tam valde oblectabatur, ut si quis eum amicum sibi conciliare cupiebat, id ludorum exhibitione commode efficere posset; hinc Julium Caesarem omnia, quae ex provinciis rapuit, ludis iterum prodegisse, PLO ait *L. 45.* quem refert PEREZ *ad tit. C. de exp. ludor. n. 1.* Et sequioribus adhuc temporibus, cum primates viri populi studiis & voluptatibus grati esse cuperent, promptius permittebatur, ut integra voluptas esset, quae volentium celebrabatur impensis *l. i. C. de spect.* Ipsi enim LL. latores non invidebant, sed potius cohortabantur amplectenda felicitis populi studia, gymnici ut agonis spectacula reformarentur. *v. l. I. de spect.* Sic florentibus spectaculis

culis licite florebat prodigalitas, usque tandem, cum ludorum festiuitates fortunas civium, possessorum opes, curialium vires, principalium domus euellerent, certus modus ludorum sumptibus præscriberetur ab Imp. THEODOS. l. 2. c. de exp. lud. Et quamvis ludorum exhibitiones nostris terris non adeo frequentes, attamen pleraque hujus rei vestigia passim sunt in propatulo, quem enim alium finem habent histriones, funambuli, fabularum actores, mimi, agyræ, quam ut per omne dementiarum genus sese spectatoribus commendent, eosque variis ludicris & omnino infamibus artibus l. 1. ff. de his qui not. inf. pecunia emungant KÆSTNER. progr. de Voluptat. artificibus Lips. 1735. emiss. no. 7. Certe & iudicis est, ejusmodi vilissimæ farinæ hominibus, ne cives facultates inutiliter perdant, quandoque publica auctoritate obviam ire; Quamobrem summo jure histriones olim ex Italia expulsi sunt. TACIT. annal. L. IV. c. 14.

§. XVIII.

Progredimur nunc ad largos, quorum duo genera constituit M. T. CIC. liberales nimirum & prodigos. Sane in exercenda liberalitate certum quoque modum observandum, eumque ad facultates referendum esse, regulæ prudentiæ utique dicitant. Cum enim ipsa natura, indigentibus beneficia exhibenda, paupertateque oppressis aliisque idoneis hominibus quidquam de facultatibus nostris imperitendum atque largiendum esse, simul quasi imperet, eo majori diligentia multæ cautiones adhibendæ sunt, ne vel majores sint, quam facultates, & nimis prodige spargantur largitiones, vel nobis ipsis noceamus, ipsamque benignitatis fontem exhauriamus, rursus TULLIVS Lib. II. c. 15. Nonnulli vero homines de suis facultatibus sæpe amplius, quam in iis est, sperant, §. 3. J. qui ex quib. caus. manum. hinc donant, spargunt, elargiuntur, & cum hoc repentino quasi vento incitati inconsulteque faciant, patrimonialia sua effundunt, seque ipsos in egestatem & famem præcipitant. Dubium itaque non est, posse prætorem, si talem hominem, qui

qui futilibus donationibus sua perdit, l. 7. ff. de donat. inveni-
erit, eum publice rerum suarum administratione dejicere.

§. XIX.

Nec adeo ii, qui ingenuorum studiorum oblectatione
detinentur, semper exactam rei familiaris rationem habent;
quorundam enim eruditorum musea si intrare liceret,
novam prodigorum speciem animadverteremus. Decet,
libros, literarum instrumenta, possidere, alit eorum lectio
ingenium, legendoque non minus, quam audiendo &
cogitando addiscimus; modum vero in coacervatione libro-
rum excedere, non sapientum & eruditorum, qui nimium
semper & in omni re vitandum esse ipsi docent. BOEH-
MER. in disp. de Excessuum penis Hal. 1730. hab. Cap. I. §. 14. sed
prodigorum est. Nihilominus haud pauci ingentem varii
generis & argumenti librorum numerum immodicis, & post-
habita divitiarum ratione sumptibus coemunt, haudque raro
eapropter cum suis strenue esuriunt, imo plerique sapius et-
iam indocti innumerabiles libros, quosque pretiosissimis &
inaureatis integumentis & titulis adornare faciunt, non tan-
quam studiorum organa, sed tanquam bibliothecarum orna-
menta, & quasi ad ostentationem prodigaliter sibi com-
parant. Elegans hinc est AVSONII, quo aliquando talem
bibliotheca gloriantem derisit, Epigr. 34.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,

Doctum & Grammaticum te, Philomuse, putas?

Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,

Mercator hodie, cras citharædus eris.

Summo itaque jure olim Huldericus Fuggerus, quod veterum
scripta prodigalibus impensis sibi compararet, remque
familiarem negligeret, amplissimi avidi patrimonii admini-
stratione privatus est. vid. Doct. Dn. LEYSER. Spec. ad ff.
CCCXLIX. m. 3.

§. XX.

Porro inter Prodigos referri possunt, qui in exstruendis
sumtuosis ædificiis pecunias atque bona assumunt. Equidem
necesse est habere præsidium, quo quis se, atque suos adver-
sus

sus aëris impetum, tempestatis injurias, infensasque bestias defendere queat; sed utrum hoc ex congesto luto & ligno, an ex variis exterarum regionum lapidibus exstructum, vel magnificis coreumatibus adornatum sit, plane nihil refert, si duntaxat tutum adversus infesta corporis munimentum existat. Profecto qui absque debita circumspeditione sumtus ædificiis impendit, eosque prudenti moderatione haud temperat, non solum inexcusabilem stultitiam monstrat, quam & ut plurimum, cum modum, qui à prudenti homine in ædificando observandus est, egreditur, intemperanter & luxuriose agit, BOEHMER. *in cit. Diss. C. II. §. 4.* adeoque etiam à magistratu pro prodigo declarari poterit; Quando enim ædificia ita extruuntur, ut magna potius & sumtuosa, quam utilia & necessaria existant, verius in perniciem, quam utilitatem publicam exurgunt, *vid. LYNCK. in Diss. de jure ædificandi in suo Cap. II. §. 1.* tristesque miserrimi splendoris effectus, extremam quippe inopiam post se relinquere solent. Huc pertinent & ii, qui admodum pretiosum suppellectilem aliasque res mobiles non tam ad familiæ usum necessarium, quam voluptuarium, & ornatum luxuriosis impensis sibi comparant, aut conclavia & atria mox splendidis cortinis & peripetasmatis, mox variis majorum imaginibus, aliisque picturis & tabulis prodigali sumtu vestiunt. His certe, si contra salutem publicam re sua æque male utuntur, *vid. §. 1. cap. sequ.* pariter interdicto succurri potest.

§. XXI.

In scenam nunc prodeant nimio vestitui indulgentes, frequentissima ferme prodigorum species; Satis enim vix fallax in hac re experientia testatur; Luxum vestium nostro ævo tam altiores egisse radices, tamque maxime crevisse, ut non magis ordinum, munerum & dignitatum gradus observentur, sed solum prodigiatatis habeatur ratio. Quare & haud pauci, cum corpus fastuosis, nimisque sumtuosis indumentis ornatus reddere, aliisque æmulari student, universum interdum patrimonium cum vestibus induunt, atque omnia sua secum portant, sicque sua bona, sæpius & alienum,

num, quod in hunc finem audacter constant, æs turpiter prodigunt atque dilacerant. Nimia itaque vestium pretiositas non solum indubitatum stulti animi indicium, sed & quandoque vera paupertatis causa existit. Huic ergo vestium luxuriæ, quam inter agræ civitatis indicia prudentes jam olim censere *SENECA Epist. 114.* leges sumptuariæ, & in Saxon. Elect. Ord. Pol. *§ Vestiar. de anno 1612.* prudentissime frena injiciunt. *vid. in. Pet. MULLER. in disp. de Jocalibus. Jen. 1680. habit. Cap. IV. in fin.*

§. XXII.

Præter eos, quos singulis antecedentibus *§ Spis* tradidimus prodigos, multi adhuc diversæ qualitatis & indolis dantur bonorum profusores. Cum enim, nec laudabiles impensas, si nimia sunt, facultatesque exhauriunt, a prodigentiæ nota excusare, certum sit, *Doct. Dn. LEYSER. Sp. CCCXLIX. m. 3.* merito prodigorum numero & adnumerandi veniunt, qui vel pauperes juvando, seipsos in paupertatem precipitant, vel honores redditibus minus conjunctos nimio argento sibi acquirunt, quive exteris provinciis nimis sumptibus peragunt, *Et. Ad summam;* finis in quacunque re respiciendus, & supervacua dimittenda, relinquenda; & qui hoc non facit, existit prodigus, etiamsi non semper pro civiliter tali declarari possit, *vid. §. 12.* Plura adhuc hocce *Cap.* prosequi possemus, nisi ab adductis ad alia & similia progressus esset facilis, præstitutique fines angustius prohiberent. Festinante potius pede transcendimus ad *Cap. II.* quod tractat

CAPVT

CAPVT II,

DE

Officio Magistratus circa prodigos, &
de interdicto honorum.

§. I.

DE officio itaque magistratus circa prodigos in adhibendo decreto cum erimus acturi, ante omnia nobis incumbet, quæstionem: an & ipsi circa prodigos, eisque obviam eundi jus competat? generaliter expendere. Et existimamus; omnino iudicis esse, rem tam pessimi exempli funditus, si possit, evellere. At enim vero obstare videtur, quod 1) neque prodigalitatæ vitium in legibus civilibus uspiam expresse prohibitum, iudex vero solummodo legum minister existat; neque 2) vitia & virtutes a iudicis cognitione dependeant, sed propriam formam & naturam habeant, *vid. VINN. ad §. 7. ff. de Curat. p. m. 125. ea vero, quæ a iudice fiunt, & ad ejus officium haud spectant, non subsistant, cap. 26. de R. I. in 6.* Sed salva res est; quamvis enim quod 1) attinet, prodigalitas legibus Romanis non expressis verbis, sufficit tamen, quod implicite prohibita sit, *vid. interim l. 27. pr. ff. de cond. inst. sic honeste vivere generale præceptum juris postulat, sic l. 15. D. d. r. omnia facta, quæ verecundiam, existimationem, pietatem lædunt, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, simpliciter prohibet, quoad 2) autem respondemus; nisi privatorum, & cum horum conjuncta publica salus hinc inde lædatur, hanc enim omnis iudex tanquam summam legem semper salvam, tectam tueri tenetur. l. 15. D. de decr. ab ord. fac. Nec 3) plusculum dubii movet vulgare brocard: quod quilibet rerum suarum liberrimus arbiter sit, illisque licite abuti queat, l. 25. §. II. ff. de hered. petit. & GOTHOFRED. ad b. l. lit. C. Probe enim inter rei abusum, cui minus*

inest,

ineſt, & quandoque, ſi exceſſus eſt levis, toleratur, *arg. l. 7. C. de relig. & ſum. funer.* & inter prodigalitateſ, qua uſus rei pededentim proſus tollitur *arg. l. 21. ff. de hered. per. diſtinguendum eſt.* Cum igitur Reipublicæ interſit, opulentos habere ſubditos, neve qui datis a Summo Numine in uſum vitæ muneribus male utatur, *ſ. ſm. J. de his, qui ſui l. al. jur. STRVV. tract. de veſt. civium Sect. V. §. 49. p. m. 63.* recte concludimus, magiſtratui non ſolum jus eſſe, ſed & omnino ad ipſius officium ſpectare, in civium vitæ rationem ſedulo inquirere, & ſi hominem, qui ſe prodigum gerit, inveniat, ejus morum perverſitate publica autoritate compeſcere, quo Reſpublica perverſis hominibus carere, tandemque quietæ eſſe poſſit. *l. 13. pr. ff. de off. præſ.*

§. II.

His præſuppoſitis ipſum modam procedendi, & quouſque officium magiſtratus circa prodigos moribus noſtris ſeſe extendat, exponemus. Superſedebimus autem, diverſas pœnas, quibus olim prodigi afficiebantur, & quibusdam locis hodie adhuc mulctantur, *vid. WEHNER in obr. pr. voc. Pranger & SCHILTER Pr. J. Rom. Ex. XXXVII. §. 215.* ſimul in medium adferre. Magiſtratus itaque cura primum ſe exerſit in eo, ut ſi quempiam civium ſuorum vitam prodigitatis vitio obſcurantem deprehendit, vel per alios, *ex. gr. parentes, cognatos, agnatos &c.* de tali homine certior fit, eum abſque omni mora primo ſimpliciter, & ſi emanat, mox de novo pro qualitate perſonarum vel realiter, vel ſub comminatione citationis realis coram ſe citari faciat, ei vitii turpitudinem debita circumſpectione in mentem inducat, eamque a tali luxurioſa vitæ genere ſerio dehortetur, *vid. Mand. Reg. de an. 1724. von Aufſborgen junger Leute §. ult. in Ap. O. P. S. R. No. 26. it. STRYK in not. Lauterb. tit. de curat. furior. verb. vocato ipſo p. m. 575.* Quibus peractis Judex, an & everſor admonitioni obtemperet, ſanioresque mores recipiat, diligenter attendat, & ſi iſte minus hoc facit, ulterius tam in ejus vitam ante actam, quam præprimis in ejus facultates, utrum & eæ, & quali ratione ſucceſſu temporis fuerint diminutæ?
C
ſedulo

sedulo inquirat, plures profusionis actus & exempla, quibus prodigus constituitur, BRUNNEM. ad l. 1. D. de curat. furios. n. 2. colligat, tuncque demum rem cum omnibus circumstantiis ad superiorem referat, & vel ipsam rei decisionem vel normam ulterius in causa procedendi expectet. Vid. cit. Mand. Extra tamen Saxoniam Elect. dubium non est, quin iudex ipse statim super prodigalitate cognoscere eamque pro arbitrio determinare possit arg. l. 11. 12. 13. D. de LL. junct. l. 12. ff. de tut. & curat. dat. § l. 1. ff. de Curat. furios. vid. § CARPZOV. P. III. c. 6. def. 6. n. 3.

§. III.

Cum autem per sententiam declaratoriam profusori simul curatore prospiciatur, l. 3. C. de rest. in integr. insuperque prodigalitas incertissimi facti sit, præviam inquisitionem, causæque cognitionem hic necessariam esse, sua sponte sequitur, arg. l. 6. ff. de curat. furios. § al. junct. l. 15. pr. ff. Ad municip. Certe fama, quæ multa in evidentia rei non consistentia haud raro complectitur, (nisi forte talis, quæ notorietati comparari possit, cap. ult. X. de cohabit. cleric.) ad declarationem non sufficiet. Sat tamen erit iudici, si per homines fide dignos coram tribunali comperiat, & ipse animadvertat, quod aliquis æs alienum contrahat, bona alienet & dilaceret, uno verbo; plura, quam ipsius substantiæ conditio permittit, dissolute prodigat. per dict. Mand. Reg. S. alleg. in verbis: **Wenn sie unzuverlässige Nachrichten brächten/ und wahrnehmen würden ic.** Potest & iudex mediante examine in inculpato vitam, atque in veritatem imputatæ luxuriæ quandoque ulterius inquirere, specificationemque facultatum ab ipso prodigo exigere. Audiendus vero reus, quando contradicere audirique perit; etenim declaratio pro prodigo, & ex ea resultans curatoris obtrusio cum magno famæ detrimento conjuncta Du. LEYS. cit. spec. corol. 1. adeoque maximi præjudicii est, hinc & iudex ei neque exceptionum deductionem, neque facultatem registrarum & inculpatam in huncce finem inspiciendi, denegare valebit, valid. à maj. ad min. arg. **Erörterung derer Landes-Gebr. de an. 1609. tit. von Just. Sach. No. 5.**

No. 5. Cæterum & eo casu, si quis se prodigum, sui que impotentem ultro coram iudicio confitetur, & ut sibi curator deur, petit, iudicem circumstantias, an & prodigitatis actus revera adsint, exacte ponderare decet, ne forte falsa confessione commotus manifeste frugali frustra curatore prospiciat. *l. 6. ff. de curat. furios.* HYBER. *Præl. ad tit. D. de curat. Fur. no. 1.*

§. IV.

Tandem, cum aut reus plane non refragatur, aut Juedex refragantis exceptiones momentaque defensionis pro parum sufficientibus astimat, sententia declaratoria, seu condemnatoria, uti eam nominare mavult, *TITIVS. obs. Lauterbach, DCCCXLII. p. m. 369.*, fertur. Olim prætor Romæ solenni in hunc finem concepta formula utebatur, quam ex *PAVL. rec. sent. HEINEC. in antiqu. Tit. de curat. §. 4.* sic recitatur: QVANDO TIBI BONA PATERNA AVITAQUE, NEQVITIA TVA DISPERDIS, LIBEROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVCS, OB EAM REM TIBI EA RE, COMMERCIOQVE INTERDICO. Sed hodiernis moribus per sententiam simpliciter, ut everfori hætenus praxi, nunc publice pro civiliter tali declarando, usque dum ad saniores mores redeat, prodigalemque vitam frugalitate emendet, autoritate publica bonis interdici, curatorque dari debeat, decernitur. Neesse tamen est, ut & ea rite publicetur, *VINN. ad §. 3. J. de Curat. p. m. 126.* scilicet is, qui pro prodigo declarandus tam ad hunc actum, quam ut sibi bonorum administrationem adimi, eamque, & se ipsum Curatori, qui simul vel dandus, vel si à patre in testamento datus adest, isque à iudice pro idoneo reputatur, speciali talione confirmandus, committi videat, citandus est. *STRYK in U. M. tit. de cur. fur. §. 1.* Quo actu magistratus & alimenta prodigo, pro modo ipsius facultatum & reddituum præstando arbitrio suo determinare potest. *arg. l. 2. C. de alim. pup. præst.* Et quamvis ex his rite peractis vere quis æstimetur civiliter prodigus; attamen Iudices in hac, prodigo solum facta, decreti publicatione, ex qua notorietas neutiquam oritur, *vid. J. S. STRYK. disp. de*

de notorio Cap. I. §. 20. haud acquiescere, sed solennem publicationem juxta usum fori superaddere, quippe per schedulam in publico consuetoque loco affixam & reliquis in Republica civibus factam bonorum interdictionem manifestare, eosque, ne cum prodigalitate condemnato sub pœna nullitatis, usque dum pro frugali iterum reputetur, contrahant, dehortari solent. *form. vid. apud BEYER. in volum. emend. P. III. c. 24. num. 5.*

§. V.

Hac occasione in intricatam istam controversiam; utrum decretum pratoris in prodigo necessario requiratur, an jam ipso jure administratio bonorum ipsi interdicta sit? incidimus. Et putamus; decretum judicis maximopere necessarium esse. Cum enim prodigo curator, & hic *juxt. l. 6. ff. de curat. sur. §. al.* ex plenissima inquisitione constituendus sit, cognitionem consequenter & decretum haud excludi posse, sua sponte sequitur. Equidem contrariam sententiam strenue defendere conatur FACHIN. *L. II. contr. cap. 63.* sed liceat rationes, quas pro stabilienda sua sententia assert, paulo tutius examinare. *Primo arg. l. emptore ff. de act. empt.* putat; si notorium esset, quempiam esse prodigum, perinde esse, ac si de eo sententia lata, adeoque & eum ab administratione bonorum suorum abstinere debere, ac si ei bonis interdictum. Sed fragilis est ratio; etenim *injur. Rom.* sicque etiam *in c. l. emptore*, quam tamen adhibita licet diligenter perquisitione invenire haud potuimus, plane nihil de notorio constitutum reperiri poterit. *J. S. STRYK. cit. disp. c. I. §. 4.* neque in prodigo notoria prodigalitas tantum, sed talis, qualis *supr. C. I. §. 12.* a nobis supeditata, quæque præviam judicationem exigit, requiritur, & fac etiam, ejusmodi notorie prodigum ab administratione rerum suarum abstinere debere, quid si vero non abstineat? quali remedio ei erit resistendum, nonne interdictione? hæc enim demum efficit, ut ipse FACH. *c. l. n. ult.* clam sibi contradicens fatetur, ut prodigus in mala administra-

stratione pergere nequeat. Nec fortius est *secundum* ejus argumentum, quod ex legibus, ubi prodigo *L. XII. Tab.* administrationem indici, aut interdictam esse asseritur, desumit; quali enim ratione quis prodigalitati, quæ incertissimi facti, & nullibi accurate determinata est, statim ab ipsa lege condemnari possit, parum comprehendi potest, nec procedit argumentatio, *ex l. I. ff. de curat. fur. prodigo L. XII. tab.* bonis interdicatur, ergo ministerium magistratus excluditur. Certe furiosus etiam ipsa *L. XII. tab.* in agnatorum potestatem recadebat, tamen prætorem super furore, de quo tamen certius constare potest, cognoscere oportebat. *d. l. 6. ff. de curat. fur.* Neque absque fundamento conijcimus, talem generalem *L. XII. tab.* dispositionem jam olim pro sufficienti minus æstimatam fuisse; eapropter Divo Pio apud *ULPIAN. in l. 12. ff. de tut. & cur. dat.* prodigis, qui, quoad bona ipsorum pertinebat, furiosum exitum faciebant, denuo prospicere æquum & necessarium videbatur; hinc & prætores interdicebant *l. 3. C. de in integr. rest.* & actus à profusissimis hominibus ante solennem declarationem gesti, nisi his alia peculiaris turpitudine accedebat, utique valebant, *l. 8. D. pro empr.* nec agnatis aliter restitutio in integrum, nisi læsus ejus vitæ erat, ut & merito ipsi bonis interdicti possent, præstabatur. *l. 27. pr. ff. de minor.* Prætoris enim interdictum prodigum tandem commercio rerum suarum, potestateque contrahendi privabat, quod haud incongrue elucescit ex *HORATII Sat. II. 3.*

— Interdicto huic omne adimat jus

Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.

Neque tertium *FACHIN.* argumentum; prodigus æquiparatur furioso *l. 6. ff. de V. O.* furiosus autem statim ipso jure amittit administrationem, nec ullum negotium contrahere potest, ergo & similiter prodigus, nos in contrarium ire convincet; fallam quippe in hoc casu à furioso ad prodigum argumentationem æstimantes. In furioso enim statim cum furere incipit, desinit facultas bona administrandi, deficitque consensus naturaliter, quare nullum negotium, quamvis maximum

num lucrum exinde capiat, contrahere potest; sed idem de prodigo, in quo consensus demum per interdictionem solummodo in negotiis nocivis pro nullo declaratur, *d. l. 6.* asseri nequit. Caterum nostrahæc opinio non obscure confirmatur *per l. 10. ff. de curat. furios.* Et olim qua prodigis eam tantum ob causam, quoniam illis per prætorem bonis interdictum, rerum suarum administratio, diminutio & in alios translatio interdicitur. Non leve quoque pondus superaddit exemplum Sophoclis apud CICER. *de senectute cap. 7.* ille feliciter, cum rem familiarem negligere videretur, à filiis in iudicium vocatus est, ut iudices ei, tanquam male rem gerenti, bonis interdicerent; quod certe non fecissent filii, si ipsi à *L. XII. tab.* administratio jamjam satis interdicta fuisset.

§. VI.

Magistratus autem dum prodigum aliquem declarat, interdicit, & dum interdicit, curatorem dat. *arg. l. 3. C. de integr. rest. COCCEJ. jur. civ. contr. Libr. XXVII. tit. 10. qu. 3. p. m. 242.* Quando vero in sententia declaratoria interdictionis administrationis haud facta fuerit mentio, à *Dd.* passim fuit controversum, utrum unum sub altero comprehendatur, & nihilominus prodigo bonis interdictum censeatur? Et remur: melius & consultius omnino esse, prodigo bonorum administrationem expresse simul adimere, *v. §. 4.* interim tamen actum declarationis propter omissam solennem interdictionem non vitiari; Non enim nuda sententiæ verba, sed mens atque finis inspicere debent, *arg. l. 21. §. 1. ff. de recept. qui arb. recep.* & intelligentia dictionum semper ex causis dicendi desumenda est. *per C. 6. X. de R. J.* neque communis objectio, quod declaratio & interdictio inter se differant, alicujus momenti erit, cum ex publice declarata prodigalitate rerum administrationis amissio, tanquam effectus necessarius, consequatur, facta itaque prodigalitate declaratione ipso jure etiam facta videtur bonorum interdictio. *l. 1. ff. de Curat. furios.* de BERGER. *in disp. de renunci. jurium §. 7.* Quod & de eo casu, si iudex, ne quis cum aliquo, quia prodigus sit,

fit, contrahat, publice prohibuerit, asserendum erit. Porro etiam per dationem curatoris, tanquam prodigo factam, simul tacite bonis interdicti, affirmare nulli dubitamus, quando enim quis in ea causa est, ut rebus suis superesse non possit, eaque propter curatorem accipere teneatur, *l. 12. pr. ff. de tut. & cur. dat.* recte praesumitur, administrationem rerum suarum, quas ipse regere haud valebat, ipsi esse interdictam atque ademptam. Diximus autem; *tanquam prodigo*, nimirum praesupponimus, curatoris dationem legaliter & *juxt. l. 6. ff. de cur. fur.* cum cognitione causae plenissima factam esse; quando enim ad solam petitionem & instantiam proximorum agnatorum, qui saepius hereditati alterius inhiant, curatoris datio facta est, ea ceu obrepta nequaquam subsistere poterit. *arg. l. 1. §. 5. ff. ne vis fiat ei, qui.* Quando vero in iudicio simul contendenti & contradicenti per decretum curator datus fuerit, isque non ulterius contradixerit, tunc, quamvis vere prodigus non esset, tamen propter auctoritatem rei iudicatae ab administratione bonorum dejicitur, sibi enim imputare debet, quod a tali decreto tempestive haud appellaverit *v. l. 1. §. 2. ff. quae sent. sin. appel.* Et hac ratione dationem curatoris parem cum interdicto effectum sortiri putamus. *v. etiam PACHIN. l. c. p. m. 354.*

§. VII.

Circa ipsam autem, ad quam nunc accedimus, prodigorum curam varia specialia, ex quibus quaedam adducimus, occurrunt. Erat curatio potestas, quae in sola administratione bonorum illius, qui rebus suis praesse haud valebat, consistebat, *pr. J. de curat.* neque ulla auctoritas curatori quoad personam competebar, *l. 8. C. de naptiis.* Porro cura non erat legitima, uti tutela, sed tantum dativa, §. 1. *J. de curat.* curatores enim semper dabantur a magistratibus, qui & jus tutores dandi habebant: *rubr. tit. D. de tut. & curat. d. ris junct. d. §. 1. J. d. t.* Nihilominus tamen se res aliter habebat in curatione prodigorum, quippe *L. XII. tab.* curatoribus prodigorum non solum in re, sed & in ipsorum personis potestatem concedebat, imo, eos in curatione agnatorum

torum

torum legitima esse, jubebat, *vid. VLP. frag. Tit. XII. n. 2.* ita autem ex CICER. *de invent. Jac. GOTHOFRED.* hanc decemviralem legem restituit: *si furiosus aut PRODIGVS EXISTAT, AST EI CVSTOS NEC EXISTIT, AGNATORVM GENTILIVMVE IN EO, PECVNIAVE EJVS, POTESTAS ESTO.* *Vid. SCHILTER. in Pr. jur. Rom. Ex. XXXVII. §. 214.* Erant itaque prodigi ex hacce *L. XII. tab.* in curatione legitima, sed tractu temporis Romæ præfecti vel prætores, & in provinciis præfides everforibus curatores ex inquisitione, §. 3. J. de Curat. sæpeque alios, quam ad quos curatio ex *L. XII. tab.* spectabat, dare solebant, *l. 17. D. de curat. furior.* Et quamvis etiam proximus agnatus, vel alius legitimus idoneus aderat, tamen curam ultro in se suscipere non poterat, sed ut a prætore prius daretur, adhuc requirebatur. *l. 2. ff. d. t.* talique modo cura prodigorum hæcenus legitima prorsus in dativam, quo magistratus eo commodiorem occasionem, in conditionem curatoris debite inquirendi, haberet, transformabatur. Neque etiam is, qui a patre in testamento datus, ad curam aliter, nisi prævia inquisitione confirmaretur & daretur, admittebatur, cum & hoc casu datio semper apud judicem manebat, *l. 16. ff. d. t.* quo jure adhuc hodie utimur.

§. VIII.

Cum itaque omnes prodigorum curatores hodiernum à magistratibus, & quidem ex plenissima inquisitione dari soleant; *d. l. 6. c. t. & Rec. J. de anno 1577. tit. 32. §. 2.* quilibet magistratus maxime curiosus in perquirendo esse debet, neminus idoneum curatorem dando, cum in subsidium obligatus maneat, *MENCK. in theor. & pr. ff. tit. de magistratus cono. p. m. 846. sequ.* sibi ipsi præjudicium asserat. *COCCIJ. disp. de curiositate legis proficua concl. 9.* Sunt autem præ reliquis boni mores creandi curatoris accurate investigandi; an ipse vitam suam recte instituat, num modestus, atque probus sit, quive norit aliorum bona utiliter administrare, neque enim facultates, neque dignitas, neque satisfactio ad fidem habendam sufficient, sed, ut electio curatoris bona sit, benigni mores, & voluntas prodigi commodum promovendi desiderantur.

l. 21.

l. 21. §. 5. de tut. & curat. dat. GOTHOFRED. ad b. l. vid. etiam l. 17. §. 1. de testam. tutel. cumque etiam hodiernis curatoribus ex inquisitione datis cautio & facisdatio, quamvis ea p. cit. Rec. J. d. l. §. item dass er 3. exigatur, moribus plerorumque Germaniæ locorum, & in Saxoniam, forsitan propter minuenda curæ onera, & quia propter tacitam in bonis curatoris constitutam hypothecam, v. l. 15. §. 1. ff. de cur. furios. & O. P. S. tit. XLV. S. unter andern 2. minoribus & prodigis jam satis cautum est, HOPP. ad pr. tit. J. de susp. tut. in us. bod. regulariter remittatur, magistratus porro attendat, quo ejusmodi curatores, qui immobilia, aut alias sufficientia bona possident, constituat, de BERGER. in E. D. F. tit. IX. Obs. 2. p. m. 313. neve tales, qui vel ipsi alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur & ab aliis reguntur. §. 13. J. de excus. tut. l. curat. vel qui profusus inimici prodigi sunt, l. 3. §. 12. ff. de susp. tut. & curat. curatores nominet. Caveat quoque, ne eos, quos pater in testamento ordinavit, aut jura ad hæreditatem prodigi ab intestato vocant, temere prætereat, his enim, vi æque idonei existunt, præ reliquis curam committere decet, l. 1. & 16. ff. de cur. fur. & al. Tandem etiam eo laboret, ut curator inventarium faciat arg. l. 7. pr. ff. de admin. & peric. tut. rationesque, ad quas de jur. bod. cit. R. J. c. t. §. 3. & const. El. II. P. II. quotannis obstrictus est, debite reddat, salutemque prodigi curandi undique promovere studeat. Alia, in quibus Judicis cura atque officium circa prodigos occurrit, brevitate studio hac vice omittimus.

§. IX.

Consideravimus hucusque prodigum commercio rerum suarum privatum, alteriusque potestati subiectum; ex re itaque erit, ut & brevibus dispiciamus, quali remedio licentiam, bona sua propria autoritate administrandi, recuperare, seque ab odio & rigore juris liberare possit. Suggest hoc l. 1. D. de curat. fur. & al. quæ eum statim, cum saniores recepit, pristinae libertati restituit, & à cura eximit. Verum enim vero quo certius ex hac lege promanet, ad restitutionem vitam frugalitate emendatam, sanioresque mores desiderari,

eo major dehinc inter JCtos lis orta, utrum, si hoc evenerit, magistratus cognitio & sententia iterum concurrere debeant, an non potius *ipso jure* ipsi administratio recuperata sit? Propugnarunt posterius haud pauci, putantes; verba *c. l. ipso jure*, stricte, & in favorem prodigi ad frugem reversi, cum jura ad liberandum semper priora essent, interpretanda, adeoque decretum judicis parum necessarium esse. Econtrario alii priorem, cui & nos calculum addimus, defenderunt sententiam. Nihil enim tam naturale est, quam eodem genere quidve dissolvere, quo colligatum est, *l. 35. D. de R. J. et l. 46. de acqu. l. amit. possess.* Atqui cognitio magistratus in ferendo interdicto & declarando, an prodigus homo, qui neque tempus neque finem expensarum sciret, esset, requirebatur, *S. s. b. cap.* ergo & inquisitio, utrum ad frugem redierit, neuiquam excludi poterit, utrumque enim incerti facti, imo in posteriori curatior inquisitio, cum haud pauci ad tempus simulantes, postea vero moram magistratus in tollendo interdicto impatientes, celeriter ad antiquos mores redierint, HVBER. *in pral. ad ff. tit. de curat. sur. n. 2. in f.* adhibenda est. Neque scrupulum movent verba *cit. l. ipso jure*, nam ea decretum non excludunt, sed potius ad id, postquam a pratore cognitio interposita est, sese restringunt; sic pari modo in *l. 8. §. 16. ff. de inof. test.* dicitur: testamentum per quarelam inofficiosi ipso jure rescindi, nihilo tamen minus, ut iudex prius desuper cognoscat, atque contra testamentum pronunciet, adhuc requiritur, *p. eand. l.* Firmum itaque manet, & in tollendo interdicto pratoris officium concurrere, eumque prodigo ademptam bonorum administrationem reddere debere. *vid. GERH. NOODT. in comm. pag. ult.* Quales vero regulæ a iudice hoc casu observandæ, de eo leges silent. Interpretes sat esse, judicemque ad decretum liberatorium procedere posse, si prodigus magnam divitiarum copiam durante interdicto acquisivisset. CHRISTIN. *A. 20. n. 2.* quod duntaxat verum iudicamus, si acquisitio ipsius prodigi facta, frugalitate & parsimonia &c., non si aliunde,

aliunde, *ex. gr.* per donationem, delatas hæreditates, aut quamcunque aliam fortunam contigerit. Ceterum optime monet *supr. all. HUBER. l. c.* prodigos non facile, nisi longo temporis spatio, diuturna que morum æquabilitate sese probaverint, esse restituendos. *vid. tamen Jul. PAC. in anal. J. lit. quibus non est perm. sac. test. §. 2. in fin. p. m. 253.*

CAPUT III.

DE

Quibusdam Prodigorum juribus in specie.

§. I.

Varii ex declarata prodigalitate promanant effectus, qui tam varia tamque multo circa prodigos constituunt jura, ut, si ea juxta seriem exponere vellemus, rem justis voluminibus exhauriendam in nos suscipere debere-
mus. Etenim non solum ea, quæ de furiosis, mente captis & dementibus passim in legibus reperiuntur, ut plurimum etiam in prodigis, quibus bonis interdictum est, intelligi, omniaque prope beneficia, quæ memoratis personis pariter ac pupillis ac minoribus dantur, ad ipsos per probabilem argumentationem commodi extendi possunt. *vid. EVERARD. in loc. a minor. ad furios. & prodig. n. l. p. m. 419.* Sed alia odiosa specialiter circa eos disposita in jure adhuc extant. Ne tamen id, quod instituti ratio postulat, sicco pede transeamus, liceat quædam saltem prodigorum jura hocce CAP. III. pertransnam quasi aspicere. Est autem primus declarata prodigitatis effectus, quod prodigus, cum propter villitatem morum, & turpitudinem vitii, cujus servus dicitur *in l. ult. §. 2. C. de sent. pass. & rest.* apud graves & honestos viros estimationem minuit, levis notæ macula adspargatur, *arg. l. ii. §. 1.*

D 2

S. 1. ff. de dol. mal. vid. MENCKEN. in Theor. & Pr. ff. tit. de bis. qui not. inf. §. 8. p. m. 127. adeoque ab omnibus dignitatibus excludatur, *l. 2. C. de dignit.* quod in prodigo fortiori ratione asserendum erit, cum ejusmodi notam propter morum improbitatem incurrat. *de BERGER. in disp. de lev. not. mac. §. 15.* Porro VLPPIANVS eum furioso æquiparat, adeo ut ei nullam voluntatem esse, dicat. *in l. 40. ff. de R. J. puta tamen civilem, lese aliis valide obligandi, hinc ab administratione rerum suarum fugere, eamque curatori, qui pendente ea in rebus ipsius loco domini habetur, arg. l. 7. §. 3. D. pro emr. relinquere tenetur, l. 1. ff. de curat. furios. et al.* Hinc etiam ab alterius bonorum administratione arcetur, ut, si tanquam pater liberos in potestate habeat, nequidem eorundem bona administrare, *l. ult. §. 2. C. de sent. pass.* imo, quod maximum est, ipsius filii potestati, seu curæ, subjici possit. Equidem apud plerosque veteres JCTOS indecorum habebatur, patrem à filio regi, tamen diuus Pius filium sobrie viventem magis, quam extraneum, dandum esse, forsitan aut propter naturalem pietatem filii, aut ob singulare prodigalitatæ odium rescriptit, *in l. 12. ff. de tut. & curat. dat.* sicque veterem dubitationem penitus sustulit. *Dissent. THOMASIVS in disp. de legitima viventis Hal. 1700. bab. §. 19. seq.* Pariratione & matri, prodigalitatæ condemnatæ de jur. civ. non maritus, quia admodum difficile esset, rationes ab ipso postea poscere, *l. 12. C. quid dare tutor. l. 14. ff. de curat. furios.* sed filius curator dabatur *arg. l. 4. ff. de curat. furios.* Hoc tamen in Saxonia secus esse putamus propter *express. text. Spec. Sax. L. 1. art. 31. in verb.* Wenn ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er sie in sein Gewehr, und alles ihr Gut zu rechter Vormundschafft. *it. L. III. a. 45.* Der Mann ist auch Vormund seines Weibes *ic. vid. JACOB. in disp. de curat. mul. Sax. Cap. 3.* Deinde prodigi restricta per decretum circa res suas disponendi potestas etiam omnia ipsi competentia jura sub se comprehendit, ita, ut illis valide & cum effectu renunciare nequeat; ratio in promptu est; destituitur enim voluntate in his actibus, qui alienationem & præjudicium, quamvis modicum sit,

fit, involvunt, *l. 6. ff. de V. O.* imo neminem hoc, etiam extracatum bonorum interdicti, absque prodigalitate & civilis negligentia nota facere posse putat *STRUV. in tract. de Inv. Nom. Divini §. 20. in not. p. m. 119.* Ne vero tam plurima & multifaria prodigorum jura nimis confuse misceamus, & *L. B.* rædium excitemus, in sequentibus §§ *sphis* speciatim ea, quæ in pactis, ultimis voluntatibus, judiciis, matrimoniis & criminibus circa prodigos potissimum obveniunt, in nuce quasi expandere annitemur.

§. II.

Quodlibet pactum, sub cujus generali significatione & contractus aliasque hominum conventiones hac vice comprehendimus, *arg. l. 1. §. 3. D. de pact.* præmeditatum voluntatem, ejusque declarationem, quam vocamus consensum exigere, ex *d. l. 1. §. 1. de pact.* & ibi extante pactorum definitione satis patefeit. Omnis vero præmeditata voluntas, si dehinc proveniens consensus debeat esse obligatorius, immaturitatem, negligentiam aliumque defectum judicii excludit. Sua sponte ergo sequitur; eos, qui quodam judicio novo laborant, consequenter & prodigos, qui propter neglectum judicii usum res suas regere haud didicerunt, eaque propter earum administratione publica autoritate privati sunt, a pactis ineundis merito exclusos esse. At enim vero, cum prodigorum judicii imbecillitas, & ex ea orta bonorum interdictio sese tantummodo ad bonorum administrationem restringant, iste odiosus juris rigor, seu paciscendi prohibitio se quoque non ultra quam ad casus administrationem & diminutionem rerum concernentes extendere potest. Hinc cum aliud sit administrare, aliud acquirere, in negotiis lucrativis, quia conditionem suam meliorem reddendo, prodigalitate præsumtio cessat, consensu non aequè desistuntur. *v. l. 6. ff. de V. O.* breves ut simus, duas ex hac lege regulas, ad quas omnia prodigorum pacta tute examinari possunt, constituimus. *Prima* est: quotiescunque prodigi paciscendo locupletiores
D 3
fiunt,

sunt, aut saltem facultatum suarum conditionem non deteriore reddunt, toties consensu haud destituuntur, sic ex. gr. donationem acceptare, possessionem rerum donatarum va-
 eam adipisci, *arg. l. 3. C. junct. l. 1. §. 4. ff. de acq. l. amit. poss. hæreditatem adeundo acquirere, l. 5. §. 1. D. de acq. l. amit. hered.* sic porro novare, *l. 3. ff. de novat. debitumque perfectum stipulatione confirmare utique possunt. arg. l. 101. de V. O.* Quoties vero II. contrahendo bona sua diminuunt, toties absque curatoris consensu se valide obligare nequeunt, hinc neque vendere *l. 26. ff. de contrab. empr. BRUNNEM. ad. b. l.* neque mutuum dare, *arg. §. 2. §. quib. alien. lic. l. non. nec quidve aliud alienare possunt.* Nihil enim, cum ipsis bonorum diminutio interdicta sit, in bonis habent, adeoque id, quod ipsi non habent, in alios transferre nequeunt, *l. 10. pr. D. de curat. furios.* sed consensum curatoris adhibere tenentur, imo si alienatio prædia, aliaque immobilia concernit, præter curatoris consensum, magistratus, seu superioris curatoris præmeditata voluntas, in quam causæ urgentis cognitio, ut adhuc accedat, necesse reputatur *in l. 11. ff. de reb. cor. qui sub. tut. l. cur. vid. EVERARD. in loc. a min. ad prodig. n. 3. p. m. 419.* Etenim alienationem rem in commercio existentem, quod tamen prodigis per decretum adimitur, semper præsupponere, tralatitium quid est.

§. III.

Quando igitur prodigi pacta diminutionem bonorum involventia ineunt, plane nihil agunt, *arg. l. 121. ff. de R. J. actusque, cum hisce casibus furiosis equiparantur l. 40. ff. d. t. pro nullis declarantur, hincque læsi in integrum restituantur, l. 3. C. de in integr. rest.* neque quidquam facit, quod ipsorum proprium turpe factum, prodigalicas scilicet, in causa sit, hoc enim quilibet, in contractibus contra leges prohibitivas initis læsus, opponere potest, *arg. Cap. 6. §. ult. X. de usur.* Idcirco res ab ipsis alienatæ vindicari possunt. CARPZOV. P. II. c. 16. d. 31. *ibique præjud. verb. so*

so ist solcher Contract nicht beständig, und demnach NN. solche
 Aecker (sonderl. dieweil sie das Kauf-Geld zu restituiren erbö-
 thig) zu vindiciren unbenommen, B. R. W. Nam utilitas Rei
 publicæ, cujus interest, ne prodigi bona sua alienent, & ac-
 ceptatam ex alienatione pecuniam male dissipent, §. *fin. J.*
de his, qui s. l. al. jur. semper intacta manere debet. Numne
 vero etiam ii, qui quidem prodigalibus moribus præditi, non-
 dum tamen publice pro everforibus declarati sunt, contra-
 here prohibiti, & si contraxerunt, in pristinum statum res-
 tituendi sint? in eo Ddres non conveniunt, eos pacisci haud
 posse, & si contraxerint, in integrum restitui debere, affir-
 mat FACHIN. *Libr. contr. II. c. 67. lit. C.* alitque, cum enim
 lex ipsos minoribus, insanis & furiosis comparuisset, satis
 clare videretur, voluisse etiam istis ad eorum exemplum suc-
 currere. Ast cum aliis majori fundamento ab hac opinione
 recedimus, ipsamque à FACHIN. adductam rationem nostram
 facimus; Nimirum leges quidem prodigos memoratis perso-
 nis æquiparant, l. 6 de V. O. & alibi. eosque earum privilegi-
 orum compotes faciunt, non vero omnes, sed eos tantum-
 modo luxuriosos subintelligunt, quibus, curatore, prævia
 causa cognitione, dato, bonis interdictum est. *vid. omn. l. 3.*
C. de rest. in integr. Neque dubium excitat l. 8. ff. *pro emtore,*
 quæ plane alium casum, ubi emptor propter parem prapitu-
 dinem in mala fide, quæ omne pactum vitiat, l. 1. ff. *de dol.*
mal. esse præsumitur, v. l. 12. §. 11. D. mandati & BRVNEM.
ad cit. l. 8. proponit. Sola ergo prodigalitas moralis ad effe-
 ctum restitutionis non sufficit, sed solennis bonorum privatio
 desideratur. *per supr. cit. U. vid. etiam Dn. de WERNHER. in*
Sol. obs. for. P. V. obs. 178. p. m. 282. verb. Daß Beklagter des
 von ihm beschebenen Vorwendens ungeachtet, Herrn. die libellir-
 te Schuld-Forderung zu bezahlen schuldig,

Rat. decid. Diweil nach Anleitung derer Acten die spe-
 cificirten Waaren geliefert, ehe der Beklagte pro prodigo er-
 kläret; so ist ic.

§. IV.

§. IV.

Verum enim vero Ddres duos præprimis casus, in quibus prodigum pacifcentem & bona diminuentem obligatum contendunt, excipiunt; Nempe si vel obligationem juramento confirmaverit, *vid. EVERARD. in loc. a vi energ. jurament. n. 14. p. m. 747.* aut in ea contrahenda falsis perliasionibus usus, adeoque in dolo constitutus fuerit; Utrumque separatim expandemus. Primum quod attinet, negamus, prodigum ex tali juramento obligari posse, nam talis juratoria obligatio, tanquam accessoria, siquidem principalis, ipso jure nulla est, *p. l. 6. de V. O.* plane nihil operari potest. Neque huic nostræ sententiæ *cap. 28. X. de jurejurand.* secundum quod omne juramentum, quod in salutis æternæ dispendium haud vergit, necessario observandum est, contrariatur, sed potius patrocinator; tale quippe a prodigo interpositum juramentum, si obligationem produceret, tam in Reipublica, quam proximorum agnatorum aut cognatorum, quibus ne prodigi bona diminuant, valde interest, sicque in tertii præjudicium redundaret, quo tamen casu pariter nullum jusjurandum observari debet. *per id. Cap. 28.* Porro quodvis juramentum obligatorum judicium, ex quo demum prudens rerum gestio provenit, tanquam necessarium comitem desiderat. *c. 26. X. d. t.* quod tamen prodigo deest. *v. §. 2. buy. cap.* Accedit ad hoc, quod adeo ejusmodi juramentum, ad quod quis spontanea voluntate inducitur, neque necessitate importuna quadam ad id trahitur, serio prohibetur *in d. cap. 26. X. de Jurejur.* ut hinc neque *auth. sacramenta puberum sponte facta C. si adv. vendit.* nobis ob stare possit, per hanc enim Imp. FRIDERICVS puberibus privilegium, contractus suos spontaneo sacramento confirmandi, concessit, quod, cum jus speciale sit, ad prodigos contra generalem juris tenorem extendi nequit. *§. 6. J. de J. N. G. & C. vid. etiam Mand. Reg. von Aufsborg. J. L. §. 1.*

§. V.

S. V.

Neque 2) prodigum fallis persuasionibus utentem & in dolo constitutum alteri simpliciter pacto obligari putamus. Quamvis enim certum sit, jura nostra malitiæ hominum haud indulgere, sed deceptis non æque decipientibus succurrere solere, *arg. l. 3. ff. ad SCrum. Vellej.* attamen prodigus, qui statim post sibi interdictam bonorum administrationem doli, quantum ad facultatem bona diminuendi particeps haud est, *l. 10. ff. de cur. sur.* ab obligationis nexu & hoc casu liber erit, alias enim ipsi commoda subnauceretur occasio, qua mediante sententiæ declaratoriæ effectum eludere posset. Certe, qui cum prodigo dolo agente contraxit, aut scivit, se contrahere cum prodigo, & tunc ipse, cum magistratus prohibitioni haud paruerit, culpa nequaquam carere *l. 199. ff. de R. J.* multo minus leges, contra quas ipse peccavit, invocare potest, *vid. CARMON. in disp. de hoc brocard. Rosl. 1731. habit.* aut nesci- vit, & tunc etiam sibi imputet, quod in conditionem ejus, cum quo contraxit, melius non inquiserit, gnarus enim debuisset conditionis ejus, cum quo contraxit, *l. 19. ff. de R. J.* Hinc damnum, quod ex tali absque præmeditata voluntate ex incaute inito pacto sentit, neutiquam dolo a prodigo adhibito, sed suæ culpæ adscribere debet. *l. 205. ff. d. t.* Dura certe opinio, sed analogiæ juris conformis. Limitamus tamen eandem, ut prodigum in tantum, in quantum ex tali fraudulentato pacto locupletior factus est, facultatesque auxit, alteri obstrictum judicemus, naturalis siquidem æquitas quempiam cum alterius damno locupletiolem fieri, haud patitur, *l. 206. D. c. tit.* Et hoc quoque de iis contractibus, in quibus consensus præsumitur, *ex. gr. negotiorum gestione &c.* affirmandum erit, *Dn. de BERGER. in Decon. J. L. III. tit. 6. §. 1.* hac enim ratione ipsius facultates, cum solummodo in quantum locupletior factus, conveniri, *arg. l. 5. pr. D. de aut. & cons. tut.* & versio in rem ab auctore probari debeat, *arg. l. 37. ff. de neg. gest.* prorsus nullum detrimentum capiunt, *vid. etiam l. 46. ff. de O. & A.* Caterum nec fidejussor pro prodigo in obligatione, quæ ex consensu ejus declarato derivatur, intercedens valide obligatur, *l. 6. D.*

cihb

E

de

de V. O. quod si vero ex re vel facto obligatio provenit, fidejussor sicuti ipse prodigus obstrictus est. l. 40. §. 4. ff. de fidejuss. Qualis enim principalis, talis & fidejussoris obligatio, arg. l. 2. ff. que res pign. l. hypoth. vid. KRAVS. in disp. de fidejussoribus Lugd. Batav. 1718. hab. §. 15.

§. VI.

A Pactis prodigi nunc ulterius ad ejus ultimam voluntatem progredimur. Sane speciale quid in legibus hic deprehenditur, quod prodigo facta bonorum interdictio suas vires etiam ad ipsius testamenti factionem, seu aliuscunqve ultimæ voluntatis declarationem extendat, cum tamen subsecuta morte interdictionis causa, ne scilicet res suas dissipando in pauperiem redigatur everfor, tandemque Republicæ oneri fiat, cesset, prætereaque nihil sit, quod homini magis debeat, quam ut liber sit supremæ voluntatis stylus licitumque, quod iterum non redit, arbitrium. l. 1. C. de S. Stis eccles. Sed his non obstantibus ipsi, cum statim, postquam circa res suas disponendi arbitrium amisit, nullam amplius voluntatem habeat, insuperque bona sua semper jactare præsumatur, l. 12. ff. de tut. dat. facultas ultimæ voluntatis elogium condendi simul ademta est. Quare neque testamentum facere l. 18. pr. D. qui test. fac. poss. neque legatum relinquere, neque mortis causa donare, l. 1. §. 1. ff. de tut. & ration. disrabend. neque per quemvis alium ultimæ voluntatis modum de rebus suis disponere potest. Testamentum tamen, quod interdictione vetustius est, valet. d. l. 18. ff. qui test. fac. Quid autem si probari possit, testatorem prodigum, revera haud exitisse prodigum, sed a magistratu ex errore aut ex alia injusta causa pro tali declaratum fuisse? & nec sic valere testamentum, recte asserit PACIUS in anal. J. tit. quib. non est perm. fac. test. §. 4. Ipse enim prodigus hic in causa est, quod contra sententiam judicis declaratoriam se ab initio non legitime defenderit, aut pristina libertatis restitutionem haud tempestive impetraverit.

§. VII.

At enim vero huncce juris communis rigorem recto judicio

dicio minus convenire, suspicatus est Imp. LEO, hinc eum postea relaxavit, atque, ut semper rerum a prodigo gestarum qualitates exacte observari, & si in illis prodigales mores haud conspicerentur, gesta nequaquam reprobari, sed rata haberi debeant, sancivit in *Nov. 39.* Et quamvis hæcce constitutio cum cæteris *Imp. Leon. novellis* nullam habeant auctoritatem, attamen eam, propter singularem æquitatem usu fori receptam esse, passim extantia Dicalteriorum responsa satis comprobant. *Vi. etiam HOPP. in Comm. ad §. 2. J. quibus non est perm.* Quando igitur prodigus posteritati, hereditatem vel necessariis suis, vel pauperibus, vel alii piæ causæ relinquendo, prospexit, testamentum ejus omnino subsistere posse, ipse statuere, illiusque comparisonem cum furioso tantum ad luxuriosam & malam administrationem restringere malim, BRUNNEM, in *Comm. ad l. 18. ff. qui testam. fac.* præsertim cum tali ratione negotia sua utiliter gessisse, morteque subsequuta nequaquam lætus videatur. Extra tamen dictos & in *cit. nov. 39.* expressos casus vix ullum aliud testamentum admittetur. *Vid. CARPZOV. P. III. c. 6. d. II. & BRUNNEM, c. I.* Facultatem tamen testandi recuperandi remedium suppeditat B. STRYK. in *caut. Testam. C. III. §. 29. p. m. ss.* nempe ut Princeps adeatur, & ab eo dispensatio contra interdictum pro licentia testandi petatur.

§. VIII.

Prodigus testamenti factione activa destitutus liberis suis integram hereditatem, vel si in favorem piæ causæ testari velit, ad minimum legitimam, tanquam portionem ipsis ex provisione juris civilis debitam, post mortem relinquere tenetur. Quid si vero prodigus a magistratu pro tali nondum declaratus in dissipatione & mala administratione pergit, paupertatique magis magisque appropinquat, possunt ne tunc liberi ejus legitimam ab eo adhuc vivente, antequam omnia bona dilapidet, exigere? putarunt hoc nonnulli, sed absque fundamento; quia legitima demum post mortem patris, cum bonorum augmentum & detrimentum vite tempore infinite varians sit, liberis debe-

ri incipit, viventisque hæreditas nulla sit. l. 6. C. de inoff. testam. l. 1. ff. de hered. l. act. vendit. vid. etiam ZIEGLER. decis. II, excep. 3. p. m. 9. Competit tamen ipsis imploratio magistratus; ut patrem prodigum ab administratione rerum desiciat, eique curatorem prospiciat. Equidem THOMAS. in disp. de legitimaviventis §. 18. seq. & hocce implorationis remedium liberis denegat, lateque contra id cit. loc. disputat, sed id parum curamus, neque enim talis imploratio directe tendit ad infamiam patris, qui per vilem & luxuriosam vitæ consuetudinem famam suam jam jam diminuit, l. 11. de dol. mal. neque ullibi in legibus prohibita, sed potius liberis permissa est, sic l. 3. C. de cur. fur. & prodigi liberis potestatem, patri, qui mentis compos non est, curatorem petere, expresse concedit, quis autem, prodigum mentis compotem esse, affirmabit? nam licet talis videatur ex sermonibus, tamen circa bona sua, in quibus furiosum exitum facit, talem sese haud præbet, l. 12. §. 2. ff. de tut. & curat. dat. Quorsum & facit exemplum Hoplomachi, qui teste VALERIO MAXIMO L. VIII. c. 6. ut patri bonis interdiceretur, postulavit, idque impetravit; Parem ob causam & Sophocles olim a filiis in iudicium vocatus est. Vid. M. T. CICER. in libell. de Senectute, cap. 7.

§. IX.

Peculiare adhuc est, quod præter exhæredationis causas in Nov. 115. expressas, jura nostra patri, filium prodigum exhæredare, & in ejus locum nepotes ex eo hæredes instituere, eique ab his certum, quod sufficit alimentorum nomine legare, addita causa necessitateque iudicii sui, permittant; l. 16. §. 2. ff. de curat. furios. & aliis, quæ exhæredatio, cum à patre, non ut filio oblit, sed potius, ut ipsi consulat, fiat, arg. l. 18. ff. de liber. & posth. hered. inst. proprie exhæredatio bona mente facta à Jctis nominatur. Dn. LEYSER. in Sp. ad ff. CCCLVIII. p. m. 640. Quid autem si filius bonam patris intentionem approbare, & in testamentum, quia in legitima debito modo non esset institutus, consentire nolit? Sed iudicium testatoris sequendum; nec is, quem pater vero consilio prodigum æstimavit, a magistratu idoneus putandus, & audien-

audiendus est. *l. 1. 16. s. ult.* Imo veteres Alemanni tanto in prodigalitate frangebantur odio, ut eam in legibus suis adeo inter justas liberos mala mente exheredandi causas referre, nalli dubitaverint. *vid. SCHILT. Ex. ad ff. XIV. s. 43. in verb. Ob ein Einn seinem Vater sein Guth mit grosser Unfuss mehr den halbes verthut ic.*

§. X.

Declarata prodigalitas varios quoque circa judicia relinquit effectus. Sic autem prodigus legitimam personam standi in judiciis non habet, *arg. l. 1. de curat. fur. jund. l. 2. C. qui legiti. pers. stand. vid. ROTHER. stat. meri. proc. Part. gen. c. 3. s. 2.* Ex quo fuit, quod absque consensu & interventu curatoris in judiciis neque agere, neque conveniri, neque, quod speciale est, actionem doli adversus hominem emendatoris vitæ instituire, sed saltem in factum experiri possit *l. 11. s. 1. ff. de dol. mal. l. 5. C. de in int. rest.* Porro etiam absque curatore procuratorem regulariter constituere nequit, potest tamen curator actiorem solus constituere, *arg. l. 11. C. de procur.* Ulterius prodigus in testimonio dicendo, quia in personis testium cujuslibet conditio, utrum quis honesta & inculpata vitæ, aut reprehensibilis sit, impræmissis explorari debet, *l. 3. pr. ff. de test. nequaquam omni exceptione major, sed admodum suspectæ fidei est. TITIVS jur. priv. l. 11. c. 15. s. 5.* In testamento autem plane non admittitur, *l. 18. pr. ff. qui testam. fac. poss.* Tandem & sententia contra ipsum indefensum, vel curatoris auxilio destitutum lata ipso jure nulla est, *arg. l. 1. C. qui leg. pers. stand. l. 6. C. quom. Et quando judex;* quo vero casu ut ipsius facultatum, conditio per læsionem quandam deterior reddatur, necessario prærequiritur, *arg. l. 9. s. 4. ff. de jurejur. plura vid. apud VANT. de nul. Sent. Tit. XI. n. 19. seqv. p. m. 257. & EVERARD. in loc. a min. ad prod. n. 4. p. 420.*

§. XI.

Ad Judiciorum formam etiam desiderantur & judices & actuarii, *c. 11. X. de prob.* utrum vero eorum vices everfor sustinere possit? analogiæ juris non consentaneum est, *§. 1. 11. ff. de dol. mal. jund. l. 2. C. de dignit.* Porro cum prodigi non legitimam personam standi in judicio habent, multo minus ipsi tribunali assidere, illisque personas principales constituere poterunt, *vid. etiam D. LETS. Sp. CCCXLIX. cor. 2. Et omnino O. P. S. Tit. II. s. 2. in verb. und nicht alle in solthe Gerichte.* Cæterum prodigi nec pro aliis in judicio stare, nec procuratores, qui sapissime clientum pecunias exigunt & accipiunt, aliisque sese obligant, *l. 23. s. 3. l. 39. s. 1. ff. de procur. Et l. 9. C. mand. esse possunt. §. SCHACHER. coll. pr. p. m. 753. sequ. Et HVBER. tit. ff. de Curat. furis. n. 3.*

§. XII.

Quali autem jure prodigus in matrimonialibus utatur? id facili negotio comprehendi poterit, si quod matrimonia pro re spiritali etiam ex principis nostrarum constanti hucusque praxi habita fuerint, *vide de BERGER in El. proc. matr. s. 18. p. m. 284. præsupponitur.* Idcirco, cum in spiritalibus curatoris autoritas plane nulla sit, & prodigus ceu alius sanioribus moribus præditus homo valide obligari possit, *a cap. 3. de Judiciis in 6. de BERGER*

ac. jur. l. IV. t. 7. in fin. dubium non est, quin etiam solus & absque consensu curatoris, cujus officium ad solam rei familiaris administrationem sese restringit, nuptias valide contrahere possit. *l. 8. C. de Nuptiis.* neque ipsi prodigalitati decretum, quod liberissimam cuique competentem matrimonii contrahendi facultatem nequam impedit, *l. 14. C. d. t. obflabit.* Optime tamen sibi consulat profusor, si in contrahendis sponsalibus declaratam prodigalitatem, quæ si vel celatur, vel ex postfacto supervenit, justam repudiæ causam præbet, *l. 5. C. de sponsal. & GOTHOFRED. ad b. l. lit. D. novæ sponsæ aperiet;* ne litis ex tali occultatione forsitan oriundæ incommoditatem cum tædio & detrimento aliquando sentiat. Litem vero sibi, vel a se motam in causa matrimoniali solus peragit, nec non, si velit, procuratorem tam ad agendum, quam ad defendendum recte constituit, *d. cap. 3. de Judic. in 6. de BERG, c. l. vid. & ea, quæ IDEM habet de minore, quæque ad prodigum commode applicari possunt in E. D. F. Tit. VIII. obs. 4. not. 3. p. m. 396.*

§. XIII.

Restat tandem, ut & brevibus de obligatione prodigi ex delictis agamus. Sane competit magistratui jus, eidemque incumbit necessitas commissæ delicta, si aperta fiunt, & in vulgus emanant, prosequendi atque puniendi *l. 3. C. de episcop. audient.* Quodlibet vero delictum publica animadversione dignum ad sui essentiam necessario dolum requirit, cujus evensor, cum intellectu gaudeat, adeoque quid faciendum, quidve fugiendum sit, scire possit, omnino particeps, consequenter etiam ad pœnas in crimina constitutas obligatus est. Equidem obstat, quod furiosus, qui tamen delinquere & puniri nequit *l. 12. ff. ad. l. Corn. de Sic. æquiparetur in l. 40. de R. J.* sed hæc comparatio in iis tantummodo causis, in quibus furiosum facit exitum, procedit, At enim prodigus furiosum exitum non facit, nisi quod ad bona ipsius, eorumque diminutionem attinet, *l. 12. D. de iur. & curat. dat.* ergo & ea ad causas criminales non extendenda, sed ad solas causas civiles, *ex. gr. pacta, contractus, testamenta &c.* restringenda est. *arg. l. 6. ff. de verb. obl. & s. 18. J. de obl. que ex del. nasc.* Alias enim prodigalitas, quæ per se nequitia est, *vid. del. form. sup. C. II. §. 4.* reliqua hominum delicta contra salutem publicam excularet, *vid. interim l. 11. ff. de incend. ruin. naufr.* Curet tamen magistratus, ut in persequendis & puniendis profusorum delictis pœnam capitalem, aut corporalem non merentibus, eorundem bonis, quantum possit, parcat, eosque potius carcere, aut alia simili pœna mulcet. *vid. MENCKEN. Theor. & Pr. ff. tit. de priv. delict. §. 15. p. m. 1433. & Abas. FRITSCH. von übermäßigen Geld. Bussen cap. 4.*

Ad plura, quæ supersunt, progredi, TIBIQVE, L. B. ulterius tædio esse, hac vice non placet, itaque hic subisto, & DEO OPT. MAX. qui faxit, ut omnia in sanctissimi sui nominis gloriam cedant! gratias humillimas pro clementer ad hunc laborem concessis viribus

perfolvo.

F I N I S.

CORRIGENDA.


Pag. 2. §. 1. lin. 7. leg. cred. pag. 4. lin. 5. leg. venationum.
p. 8. lin. 14. leg. vix. pag. 10. §. 16. lin. 7. leg. ludendo.
pag. 16. §. 1. lin. 5. leg. expandere. pag. 17. §. 2. lin. 14. leg.
eumque. pag. 18. §. 3. lin. 14. leg. in zuverlässige. pag. 19.
§. 4. lin. 21. leg. datione, & lin. 24. leg. prästanda. pag. 20.
lin. 7. leg. Volckm. pag. 21. lin. 3. leg. interdicti. p. 25. §.
8. l. 18. leg. si, pro vi. p. 27. §. 1. lin. 2. leg. multa, & lin. 11.
post sed, Et. pag. 28. lin. 18. leg. curatorem dandum esse.
p. 31. lin. 30. leg. Klägern. p. 33. lin. 20. leg. &, pro ex.

ULB Halle
002 490 110 3



SB. +







5754

DISPUTATIO IVRIDICA ^{1737/1}
DE
IVRE
CIRCA
PRODIGOS,

QVAM
ILLVSTRIS
IN PERANTIQA ACADEMIA ERFORDIENSI
JCTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRO
GRADV DOCTORIS
AD D. VIII. OCTOBRIS ANNO M DCC XXXVII.
SINE PRÆSIDE
DEFENDET
AVCTOR
FRANCISCVS CHRISTOPHORVS
Härtel/
SCHNEEBERG. MISN.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.